

GER. IO. VOSSII

2

ELEMENTA RHETORICA,

Oratoriis ejusdem Partitionibus
accommodata;

Inque usum Scholarum Hollandiæ &
West-Frisiæ denuo edita.

*Sym. Hermannus
Samsonij Jansenij*



*Hermannus Sam-
sonij*

AMSTELÆDAMI,

Apud IOANNEM IANSSONIUM.

MDCLXXXV.

G. I. VOSSIUS
BENEVOLO LECTORI.



Similit.
VOLUNT illi, qui aliis ad terrarum situm praeunt viam, initio in tabella quapiam ob oculos ponere²¹ principes orbis partes, & celebriores²¹ aliquot nationes. Qualis opera, ut²¹ cunq; levis & frivola videatur, voluptatem nihilominus suam habet; nec fructus eam penitus expertem. Nam sive hic sistere libeat; quis non videt, satius omnino esse, ut rei tam excellentis gustus aliquis habeatur, quam ut ea penitus nesciatur? sive animus magis ad exactam universi notitiam adspirat: quid apertius est, quam non posse eò quenquam pervenire, qui non primordia illa antea perceperit? Quod hac de scientia exposui, idem in aliis etiam disciplinis locum habet. Ea res fecit, ut illorum, quos dixi, exemplo, & quod caput est, à Superioribus jussus, lineamenta quadam duxerim artis Oratoria: non quidem quasi existimarem, precepta eloquentia pagellis posse²¹ paucis comprehendi: sed ut nobilissime facultatis natura ac constitutio, membrorumque omnium compages, uno quasi intuitu cerneretur: atque ut tirunculis hic haberent elementa aliqua, per quae, velut gradibus quibusdam, ad altiora & magis recondita, facilius perducerentur. Vtrumque horum cum propositum mihi nunc foret, troporum quidem & potissimum schematum

STYLIOFFER
der GESELLSCHAFT der
HERRN v. ALBERTUMBERG

RIGA.

IM DRUCK DER
UNIVERSITÄT

AN DER UNIVERSITÄT

MDCCCLXXII.

matum doctrinam, quomodounque ad pueritia captum expressi: reliqua vero artis tantum summa carpere fastigia visum fuit. Nec moveat, si in tanta brevitate, jejuna hic omnia planeque arida videantur. Nam sufficere debet, quod ea, quae nunc strictim ac vellicatim attingo, fufius explicarim in Partitionibus Oratoris; quae, ex decreto Illustrium Hollandiae & West-frisiae Ordinum, superiorum classium usui inservient. Ed igitur recurrat, qui plenius aliquid, aut planius requiret. Equidem, ut ista etiam parte allevarem laborem alienum, ad oram libelli hujus apposui, quibus Partitionum locis singula hic responderent. Conferre etiam cum istis licebit, quae, ante annos multos, sex Institutionum libris non incuriose, ut arbitror, de hac ipsa arte prodebam: in Elocutione imprimis; ubi, quae de tropis & Schematibus hic dicimus, tanta exemplorum copia illustrantur, ut, si quis istis contentus non fuerit, plane verendum sit, ne quicquam ei satis esse possit. Lugd. Bat. Cl. Io. CXXVI. Kal. Septemb.

E L E

R H E T O R I C A,

Imprimis doctrina

Io. Benj. Jura.

D E

*

T R O P I S, E T S C H E M A T I B V S.



R H E T O R I C E, quae Latinis Oratoria dicitur, nomen habet à ῥῆμα id est, dico. Quia ut Grammaticae monstrat viam bene sive pure loquendi: ita

Partit. *Honordymia*
Orat.
Lib. 1.
Cap. 1.
S. 1.

Compar:

Rhetorice docet bene dicere, sive, prudenter, copiose, ornatèq; loqui.

Definitur Rhetorice facultas videndi in unaquaque re, quod in ea est ad persuadendum idoneum. Itaque finis Oratoris ultimus est persuadere: officium est videre, quid ad persuadendum conducatur: sive dicere ad persuadendum accommodate. Materia est unaquaque res; sed imprimis quæstio civilis.

Cap. 1.
S. 3 & 5
Definitio.

Finis.
Officium.

Materia.

Quæstio ea, vel thesis est, vel hypothesis.

Cap. 5.
S. 6.

A 3 Thesis

• Thesis est quæstio infinita, five universalis.

Vt, An liceat insidiatorem interficere.

Hypothesis est quæstio finita, five singularis.

Vt, An jure Milo interfeceris Clodium.

Cap. 1.
§. 3.

Officii oratorii partes sunt quatuor; argumenta invenire, inventa disponere, disposita exornare, & exornata pronuciare. Ac pro his totidem sunt partes Rhetorices; inventio, dispositio, elocutio & pronuciatio.

DE INVENTIONE.

Cap. 2.
§. 1.

INVENTIO est excogitatio argumentorum, quæ ad persuadendum idonea sunt.

Cap. 2.
§. 5.

Argumenta sunt triplicia, rationes, mores, & affectus: quæ Græcis vocantur λόγοι, ἦθη, & πάθη. Ex his rationes ad docendum; mores ad conciliandum; affectus ad permovendum valent.

Argu-

Argumenta primi generis, vel artificialia sunt, vel inartificialia. Artificialia dicuntur, quæ ab Oratore artis beneficio inveniuntur.

Ea variant pro generibus hypothesis, quas Latini *caussas* vocant.

Caussarum genera sunt tria; demonstrativum, deliberativum, & juridiciale.

Cap. 3.
§. 1.

DEMONSTRATIVUM est, quo laudamus, aut vituperamus. Ac præcipuè respicit tempus præsens.

Laus, ac vituperatio omnis, vel personæ est, vel facti, vel rei.

Cap. 4.
§. 3.

Persona, ut, si laudes Ciceronem: vituperes Antonium.

Facti, ut, si laudes voluntarium M. Reguli ad hostes suos reditum: aut si vituperes in Catone Uticensi, quod manus sibi intulerit, ne in potestatem Cæsaris veniret.

Rei, ut, si laudes eloquentiam, vel agriculturam: aut vituperes vitium animi ingrati.

Argumenta in hoc genere præcipuè petuntur ab honesto, ac turpi.

Cap. 4.

A 4

Genus

Cap. 3.
§. 2. &
imprimis
Cap. 5.

Genus DELIBERATIVUM est, quo suademus, vel dissuademus.

Vt, si suadeas pacem, vel inducias, dissuadeas bellum, vel contra.

Est deliberatio omnis de futuris. Ac præcipuè in eâ consideratur, ecquid utile sit, an inutile.

Cap. 3.
§. 2.

Genus IVRIDIGIALE est, quo accusamus, vel defendimus. Quomodo Milo, interempto Clodio, ab amicis Clodii est accusatus; à Cicerone verò defensus.

Versatur hoc genus circa præterita.

Cap. 5.
§. 1.
Cap. 5.
§. 2.

Variant autem argumenta in eo pro statuum diversitate.

STATVS est quæstio ex prima causâ confictione proveniens. Ac in genere juridicali nascitur ex prima accusatoris intentione, & defensoris depulsione.

Ita accusabatur Milo, quòd Clodium occidisset: Milo interemptum fatebatur; sed jure occisum aiebat. Status igitur fuit, jurène, an injuria, Clodium interemerit Milo.

Status

Status est quadruplex, conjecturalis, finitivus, qualitatis, & quantitatis. Cap. 6. §. 6. 7. 8. 9. 10.

CONJECTURALIS est, quo quæritur, ecquid factum sit, nec ne. Cap. 7.

Vt, *An Sextus Roscius occiderit patrem suum.*

FINITIVVS est, quo de nomine rei quæritur. Cap. 8.

Vt, *Abstuli quidem, sed furtum non commisi.*

Vbi furtum erit definiendum. Atque ita in aliis. Cap. 9. & 10.

QUALITATIS est, quo quæritur, quale sit factum.

Vt, *Occidit quidem Clodium Milo, sed jure id fecit.*

Vbi legibus probandum erit, quid jure; quidve injuriâ fiat.

QUANTITATIS status est, quo de magnitudine rei disceptatio est. Cap. 11.

Vt, *Si constet esse crimen, sed negetur grave esse crimen.*

Vbi amplificatio, & imminutio facti imprimis attenditur. Viden-

A 5 dum

dum igitur, quid magnum, aut exiguum oporteat censere.

In singulis autem caussarum, ac statuum generibus, locum habet ἡ δύναμις,^a sive quid fieri possit, aut non possit: item comparatio^b, sive quid sit honestius, utilius, aut justius.

^a Cap. 2.

§. 10.

Cap. 7.

§. 15.

^b Cap. 2.

§. 11.

Cap. 4.

§. 40.

Cap. 5.

§. 17.

Cap. 3.

§. 6.

^c Cap. 12.

Artificialibus^c argumentis accedunt inartificialia, quæ foris delata, ab oratore solum arte tractantur.

Vt imprimis sunt testimonia.

Sequuntur ΠΑΘΗ sive AFFECTIONES, ^d quos Deus animis nostris indidit, ut sint tanquam stimuli ad honestas actiones.

^d Lib. 2.

Cap. 1.

Sunt hi, ex Stoicorum sententia, quatuor: ratione boni præsentis, lætitia; ratione boni futuri, spes; ratione mali præsentis, dolor; ratione mali futuri, metus.

Ad hos autem referuntur, ira, lenitas, pudor, impudentia, amor, odium, indignatio, invidia, misericordia, & æmulatio.

In quorum singulis attendere imprimis

primis oportet, & quomodo affectus is moveatur, & quomodo sedetur.

Lib. 2.
Cap. 2.
& seqq.
12.

Superfunt MORES: qui hic spectantur, quatenus ex oratione dicentis elucet.

Lib. 2.
Cap. 15.

Quò morata sit oratio, ante omnia id agendum est Oratori, ut, in eâ reluceant prudentia, probitas, & benevolentia. Nam facile iis credimus, qui & rem intelligunt, & bene nobis cupiunt.

Præterea illi videndum est, & apud quos dicat, & de quibus dicat. Variant enim mores hominum tum pro naturâ gentis, ac Reipublicæ; tum etiam in singulis, pro ratione affectuum, habituum, ætatis, ac fortunæ. Hactenus de Inventione.

DE DISPOSITIONE.

SEQUITUR DISPOSITIO, quæ est partium orationis idonea ad persuadendum collocatio.

Lib. 3.
Cap. 1.

Partes orationis sunt, exordium, narra-

a Vnde
vulgaris
versicu-
lus: Ex-
orsus nar-
ro, seco,
firmo, re-
futo, per-
oro.
Cap. 2.
83.

narratio, propositio, confirmatio,
confutatio, peroratio. a Quorum
prima, & ultima, imprimis ad ani-
mos movendos; cæteræ magis ad
docendum valent.

EXORDII præcipuum munus est
præparare auditorem ad reliquam
ditionem. Quod fit reddendo cum
benevolum, attentum, & docilem,

Quando aperte hoc agimus, ἀρ-
χή, sive *principium*, dicitur: sin idem
occulte fiat, vocatur *insinuatio*,
Græcè ἐφθορά.

Cap. 4.

Laudantur exordia ex causa ipsa
velut nata: item modesta, ac vere-
eunda.

Cavenda autem sunt ea, quæ ni-
mis longè petita: item communia
nobis, & adversario, vel facile com-
mutabilia, vel nimis magnifica.

Cap. 5.

NARRATIO rem gestam, ut
gesta est, à principio usque ad finem
exponit.

Ea interdum tota continuatur;
interdum partes ejus singulatim ex-
plicantur, & amplificantur.

Nar-

Narratio esto perspicua, ut intel-
ligatur; verisimilis, ut credatur; sua-
vis, ut libenter audiat. Esto & bre-
vis, quia tædio erit, si ulterius pro-
ducatur, quàm opus est.

PROPOSITIO summam to- Cap. 6.
tius orationis proponit. Quæ si o-
rationem in partes dividat, Partitio
appellatur.

Partitio cum perspicua, tum e-
tiam brevis esse debet: hoc est, non
major, quàm trium, vel ad summum
quatuor partium.

CONTENTIO, quàm Aristo- Cap. 7.
teles πίστη appellat, continet confir-
mationem, & confutationem.

Confirmatio argumentando causam
nostram astruit.

Confutatio diluit argumenta ad-
versarii. Cap. 8.

Ἐπίλογος, Latinis PERORATIO, Cap. 9.
est totius orationis clausula.

Duplex autem ejus munus est.
Prius est ἀνακεφαλαιώσις, sive enu-
meratio potissimorum argumentorum.
Alterum est περίληξις, sive
com-

commotio affectuum. Nunc ad Elocutionem veniamus.

DE ELOCUTIONE.

Lib. 4.
Cap. 1.

ELOCUTIO alia philosophica est, alia oratoria, alia historica, alia poetica.

Definitio.

Elocutio oratoria est, rerum inventarum, & dispositarum, per verba sententiasque expositio ad persuadendum idonea.

Elocutionis præcepta, vel generalia sunt; vel ad hanc illamve materiam, ac characterem restricta.

Elocutio communis dividitur in elegantiam, dignitatem, & compositionem.

Cap. 1.
& 2.

Elegantia efficit, ut unum quodque tum pure, tum perspicue, dicatur.

Ad puritatem opus est delectu verborum. Vitanda igitur verba barbara. Nec indulgendum antiquatis, aut inusitatis. Sordida etiam & obscœna, honestis verbis circumloqui oportet.

Per-

Perspicuitati inter alia repugnat sermo ambiguus, nimia brevitas, & ordo verborum perturbatus.

Dignitas suppeditat orationi pietas, sive verborum sententiarumque lumina; quæ Rhetores vocant tropos, & schemata.

Cap. 3.

TROPVS est vocis à propria significatione in aliam cum virtute immutatio.

Fit autem inversio significationis quadrifariam, ac pro eo quatuor etiam sunt tropi primarii: metaphora, metonymia, synecdoche, & ironia.

METAPHORA, sive translatio, est tropus, quo verbum à propria significatione in alienam transfertur ob similitudinem.

Cap. 4.

Itaque tria hic spectantur, significatio propria, aliena, & similitudo:

Ita *scrupulus* proprie dicitur lapillus in calceos viatorum incidens. Improprè ita vocatur sollicitudo, ac dubitatio. Similitudo in eo consistit, quòd ut lapillus ille pedibus,

ita

ita sollicitudo animo molestiam parit.

Nullus autem tropus plus luminis adfert orationi: imprimis si ad sensus ipsos admoveatur, maxime oculorum, qui sensus est acerrimus.

Ut *splendor verborum*, *studia florent*, *videre pro intelligere*, & similia.

Cap. 5.

METONYMIA est tropus, quo caussa externa ponitur pro effectu: vel subjectum pro adjuncto: vel antecedens pro consequente, aut contra. Itaque sex in universum sunt metonymiæ species, seu modi.

Primus ponit pro effectu causam externam: eamque vel efficientem, ut *Mars* pro proelio; *Livius* pro scriptis Livii; *lingua* pro sermone; *manus* pro scriptura: vel finalem, ut *statuere exemplum*, hoc est, infligere pœnam, quæ cæteris sit documento. Sic Maro:

Aut supplex aris imponat honorem.
hoc est, victimam.

Alter modus est effecti pro causa externa: eaque vel efficiente, ut,

palli-

pallida mors, quia pallentes facit. *ira caeca*, quia homines efficit cæcos: vel finali, ut, *Serta mihi Phyllis legeret*, pro floribus. * Ecl. 16.

Tertius est subjecti pro adjuncto. Quò refer, cum ponitur continens pro contèto: ut, *Roma* pro Romanis, *patera* pro vino. Item cum possessor ponitur pro re possessa. Ter. Heaut.

Quid te futurum censes, quem assidue excedent? id est, cuius opes confument. Virgilius 2. Æn. *Iam proximus ardet Vcalegon.* id est, domus Vcalegonis. Item *dux* pro militibus: ut, *Cæsar*, pro exercitu: aut *patronus*, pro cliente: ut, *Nego, me restitutum*, hoc est, clientem meum. Item signatum pro signo: ut, *Iupiter*, pro Iovis statua: *Orpheus*, pro Orpheo picto, aut cælato.

Quarta modus est adjuncti pro subjecto. Velut cum contentum ponitur pro continente: ut, *vina coronant*, pro pateris: aut signum pro signato, ut, *fascës, & secures*, pro imperio consulari: *toga*, pro pace.

B

Huc

* ubi & g-
necl e e
est totius
essentialis
pro parte
materialis

Eam metonymiam
pro effectu.

Huc refer, cùm tempus ponitur pro re, quæ est in tempore. Vt, *Hujus seculi insolentia*. Philipp. 9. *O tempora! o mores!* In Catil.

Vulgò & eodem referunt, cùm virtutes, & vitia, ponuntur pro personis ipsis. Vt, *ars*, pro artifice: *luxuries*, pro luxurioso.

¶ Sed hæc potius est Synecdoche partis essentialis: nempe formæ pro formato.

Quintus modus est, cùm antecedens pro consequente ponitur. Vt, *vixerunt*, pro *mortui sunt*: *discumbere*, pro *cœnare*.

Sextus modus est consequentis pro antecedente. Vt, *funus*, pro morte.

Duo postremi modi à quibusdam *μεταλλῆσι* vocantur.

Cap. 6.

SYNECDOCHE est, cùm totum ponitur pro parte, aut pars pro toto. Ea fit VI. modis.

Primus modus cùm genus, quod est totum universale, ponitur pro specie. Vt *Prædamque ex unguibus ales Projecit sturvio*. Virg. pro aquila. Sic, *Tollit se arrectum quadrupes*. pro equo. Idem.

Alter

Alter modus, cùm species contrà usurpatur pro genere. Vt, *auster*, vel *aquilo*, pro vento quolibet: *Falerium*, pro quovis vino præstanti: *telam*, pro quibusvis armis: *mel Hymentium*, pro quovis melle: *spica Cilissa*, pro quovis croco.

Tertius, cùm toto essentiali, quod constat materiâ, & formâ, utimur pro solâ materiâ, aut formâ. Vt apud Evangelistam: *Sustulerunt Dominum meum; nec scio, ubi posuerint eum*. id est, Domini mei Iesu corpus.

Quartus, cùm contrà pars formalis, aut materialis, ponitur pro toto essentiali. Ita formæ Synecdoche est, *candida anima*, pro homine candido. Materix autem, *aurum*, *argentum*, *as*, pro pecuniâ: *ferrum* pro gladio: *avena*, aut *arundo*, pro fistula ex avenâ, vel arundine confecta. Sic, *gemmâ bibere, dormire ostro*. Vulgò Metonymiam materix appellant.

Quintus modus, cùm totum integrale sumitur pro parte. Virg. *Pa-*

B 2

bula

bula gustassent Trojae, Xanthumque bibissent.

Sextus modus, cum contrà pars integralis ponitur pro toto, Vt, lepidum, vel ridiculum caput, pro homine lepido aut ridiculo. Sic, orbis pro imperio Romano, puppis pro navis, mucro pro gladio, tectum pro domo.

Ad quintum sextumque modum refer, cum numerus singularis ponitur pro plurali, aut pluralis pro singulari, aut denique certus pro incerto.

Vt, Romanus praelio victor. Liv.

Pulcra verecundo suffundens ora rubore. Ovid. i. Met. hoc est, os five vultum.

Sexcenta licet ejusmodi proferre. Cic. 2. de Div.

IRONIA est tropus, quo intelligitur contrarium ejus, quod dicitur: unde illusio aliquibus dicitur.

Id populus curat scilicet. Terent. Aedum, bone vir. Idem.

Sic, Penelope de impudicâ: Cato, de stolido.

Atque

Atque hi tropi sunt primarii.

Troporum autem species sunt. Cap. 8.

Μεταλήψις, Αντονομασία, Λιτότης.

METALEPSIS, Latine transsumptio vocatur, cum antecedens ponitur pro consequente, aut contrà: estque species μελωνυμίας, ut superius dictum est. At aliud est μεταλήψις, cum affectio tropi est, ut postea dicitur.

ANTONOMASIA est synecdoches species, quâ proprium sumitur pro communi, vel contrà.

Prioris modi est, Irus pro paupere, Thersites pro deformi, Cato pro sapiente, Macenas pro doctorum patrono.

Alterius modi est, parens pro patre, Philosophus pro Aristotele urbs pro Româ, Poeta pro Homero vel Virgilio, Apostolus pro Paulo.

Huc refer periphrasin non recipiam: ut, Trojani belli scriptor, pro Homero.

LITOTES, quam extenuationem Latine dixeris, fit, cum minus

B 3 dicitur

Ironia.

Cap. 7.

Metaleps.

Antonomasia.

Litotes.

dicitur, & plus intelligitur: unde synecdochæ subjici posse, liquet.

|| *Munera nec sperno.* 7. Æn. id est; lubens accipio.

Non laudo, id est, reprehendo. Ter. And.

Affectiones troporum præcipuæ sunt quatuor; Metalepsis, Allegoria, Catachresis, Hyperbole.

METALEPSIS est tropus multiplex in voce una; sive, cum gradatim ex una significatione proceditur in alienam. Vt,

Post aliquot, mea regna videns, mirabor aristas. Virg. *aristas* pro spica; *spica* pro messe; *messis* pro anno: eoque & *arista* pro anno.

Cap. 9.

§. 4.

Allegoria

ALLEGORIA est tropus in verbis pluribus continuatio. Vt,

Claudite jam rivos, pueri; sat prata biberunt. Virg. id est, desinite canere, quia satis audivimus.

Parturiunt montes; nascetur ridiculus mus. Horat. de magna expectatione, sed in ludibrium abeunte.

Cap. 9.

§. 13.

CATACHRESIS, sive *Abusio*, est

est tropus durities quædam. Vt cum vox aliqua licentius à propria significatione ad aliam deflectitur: velut *gurgès*, & *vadum*, pro mari.

Instar montis equum divinâ Palladis arte.

Ædificant. Virg.

Breve lilium, apud Horat. pro non diuturno.

HYPERBOLE, quasi dicas, *Superjectio*, est oratio augendo, vel minuendo, superans fidem.

Cap. 9.
§. 16.

Augendo: ut, *nive candidior, melle dulcior, ocior euro.* Cic. Philip. 2. *Vomens frustis esculentis vinum redolentibus gremium suum, & totum tribunal, implevit.*

Minuendo: ut, *testudine tardior; minus nihilo.*

Ad tropos quoque vulgò, sed falso, referuntur sex species irrisionis; Sarcasmus, Diasyrmus, Charientismus, Asteismus, Myæterismus, & Mimesis.

Cap. 10.

SARCASMUS est hostilis irrisio super jam mortuo, aut certò morituro,

Sarcasmo. rituro. Vt, Ave rex Iudaeorum, Matthæi 27. I, verbis virtutem illudis superbis. 9. Æn.

Diasyrms. DIASYRMVS est inimica irrisio, sed extra eadem, Vt, Asinus ad lyram.

Interstrepit anser olores. Eclog. 9.

Charientism. CHARIENTISMVS à lepore & gratiâ nomen accepit; estque jocus cum amenitate mordax. Vt, Davus pistrinum deprecans, Bona verba quæso. Sic, Di meliora.

Asteism. ASTEISMVS est jocus urbanus. Vt, Qui Bavium non odit, amet tua carmina, Mævi. Virg. Nam Bavus malus Poëta; & illo deterior Mævius erat.

Myctersim. MYCTERISMVS fit, cum naso suspensio quempiam subsannamus: μυκτῆρ enim est nasus.

Mimesis. MIMESIS, Latine Imitatio, refert aliena verba oratione directa, idque fere ad risum. Vt,

At ego nesciebam, quorsum tu ires;
Parvula

Hinc est abrepta, eduxit mater pro sua.
Soror

Soror est dicta: cupio abducere, ut reddam suis. Ter. Eun.

Huc etiam referri solent, quæ ad Grammaticen potius, quam Rhetoricen videntur pertinere: idque vel ad ἑτυμολογίαν, ut ὀνομαστοπία, & ἄντιφρασίς; vel ad Syntaxin; ut ἵπαλλαγή.

ONOMATOΠΟΪΑ nihil aliud est, quam nominis fictio à sono: ut, balare, grunnire, boare, hinnire.

ANTIPHRAΣIS est vox à contrario dicta. Ita vulgo ajunt*, bellum vocari, quod minime sit bellum; Parcas, quod minime parcant; lucum quod minime luceat.

ἵπΑΛΛΑΓῆ est, cum rerum ordo invertitur. Vt, apud Ciceronem pro Marcello: Gladium vaginâ vacuum in urbe non vidimus. pro, vaginam gladio vacuum.

Brutium ponto feriente Corum.

Id est, Coro Brutium pontum feriente. Seneca in Thyeste.

* Quid de tota hac re statueret oporteat, abunde exponimus in Oratoriis Institutis.

DE SCHEMATIBVS.

Lib. 4.
Cap. 11.

Altera dignitatis oratoriae pars in Schematibus sive Figuris versatur.

Est verò Schema, forma orationis, quâ hæc alio quopiam modo, quàm in versione significationis, à vulgari consuetudine immutatur in meliorem.

Schemata sunt duplicia; verborum, & sententiarum: Græcis λέξεως, & Διανοήσεως.

Verborum Schemata sunt triplicia: quædam cōsistunt in subticentia, sive defectu; quædam in excessu; quædam in reliquo corpore orationis.

Subticentia figurant Ellipsis, & Apsyndeton.

ASYNDETON copulæ est defectus. Virg. 4. Æn.

*Ferte citi flammæ, date tela, impel-
lite remos.*

ELLIPSIS verò est alius partis, aut particule defectus. Vt, I. Æn. *Sed vos qui tandem?* ubi omittitur, *estis.*

Excessu

Excessu figurant orationē Pleonasmus & Polysyndeton.

POLYSYNDETON est abundantia copulæ. Cic. in epist.

Me præ cæteris, & colit, & observat, & diligit.

PLEONASMVS est alius partis, aut particulæ, abundantia. Vt, 4. Æn. *Vocemque his auribus hausi.*

Schemata, quæ in reliquo fiunt corpore orationis, vel eandem ponunt vocem, vel similes.

SCHEMATA,

Quibus eadem vox repetitur.

ANTANAKLAISIS dicitur, cum usurpatur vox eadem appellatione, non significatione. Vt, *Cur eam rem tam studiose curas, qua multas tibi dabit curas?* Cornific.

Cap. 12.

Amari jucundum est, si curetur, nequid insit amari. Idem.

Huc pertinet ΠΛΟΚΗ cum vox uno loco personam, aut rem; altero mores, aliamve qualitatem, significat. Vt, *is qui dicitur nobis dicitur*

Ad

Ad illum diem Memmius erat Memmius. id est, sui similis.

Simia est simia, etiamsi aurea gestet insignia.

ΣΥΝΩΝΥΜΙΑ cū verba idem significantia conjunguntur.

Abiit, excessit, evasit, erupit. Cic. Cat. 2.

Promitto, recipioque, spondeoque, Philipp. 4.

ΕΞΕΡΓΑΣΙΑ est congregatio sententiarum idem significantium.

Vt, Cic. pro Ligario: *Quid enim tuus ille, Tubero, in acie Pharsalica gladius agebat? cujus latus ille mucro petebat? quis sensus erat armorum tuorum? quæ tua mens, oculi, ardor animi? quid cupiebas? quid optabas?*

ΑΝΑΦΟΡΑ est repetitio ejusdem vocis in principio. Vt, Geor. 4.

Te dulcis conjux, te solo in littore secum,

Te veniente die, te decedente cavebat.

ΕΠΙΦΟΡΑ sive Επιστροφή, est repetitio ejusdem vocis in clausulis.

Vt

Vt, *Pænos populus Rom. justitiâ vicit, armis vicit, liberalitate vicit.* Cornif.

Quod si Anaphora, & Epiphora concurrant, ΣΙΜΠΛΟΚΗ vocatur.

Quis legem tulit? Nullus. Quis majorem partem populi suffragiis privavit? Nullus. Quis comitiis presuit? Idem Nullus. Cic. Agr. 2.

ΕΠΑΝΑΛΗΨΙΣ est repetitio ejusdem vocis in initio præcedentis, & fine sequentis sententiæ. Vt, Ovid. Fast.

Qui bibit inde, furit: procul hinc discedite, queis est

Cura bona mentis. qui bibit inde, furit.

ΑΝΑΔΙΠΛΩΣΙΣ est repetitio in fine præcedentis, & initio sequentis sententiæ. Vt,

Ecce Dionei processit Casaris astrum.

Astrū, quo segetes gauderent. Vir. Ecl. 9.

ΕΠΑΝΟΔΟΣ est, cū, quæ priori erant posita loco, posteriori; & quæ posteriori, ea priori loco repetimus. Ovid. Heroidum epist.

Demophoon ventis, & verba, & vela dedisti:

Vela

Vela queror reditu, verba carere fide.
 ΕΠΙΖΕΥΞΙΣ est, cum vox aliqua repetitur cum vehementia. Vt, Virg. Ecl. 5.

Ipsa sonant arbusta, Deus, Deus ille, Menalca.

Cic. Verr. 7. *CruX, cruX, inquam, infelici & misero.*

ΚΑΙΜΑΞ, seu Gradatio, eodem verbo connectit superiora inferioribus.

Vt, *Africano industria virtutem, virtus gloriam, gloria æmulos comparavit.* Cornific.

ΠΟΛΥΠΤΩΤΟΝ, cum idem verbum variato repetitur casu. id est, terminatione.

Vt Cic. *Sed pleni sunt omnes libri, plena sapientum voces, plena exemplorum vetustas.*

Littora littoribus contraria, fluctibus undas, Imprecor, arma armis. 4. Æn.

SCHEMATA.

Quæ repetunt voces similes.

Cap. 13.

ΠΑΡΗΓΜΕΝΟΝ conjungit voces, quarum una ab altera derivatur. Ovid.

Tu

Tu quoque Pieridum, studio, studiose, teneris;

Ingenioque faves, ingeniose, meo.

ΠΑΡΟΝΟΜΑΣΙΑ five Agnominationo est, cum parva verbi immutatione in aliam planè sententiam deflectitur oratio.

Seneca Epist. xxvii. *Nunquam satis dicitur, quod nunquam satis discitur.* Cato, ut ait Tullius de Oratore, *cum cuidam dixisset; Eamus deambulatum;* ait ille, *Quid opus est de? imò verò, inquit, quid opus est te?*

ΟΜΟΙΟΠΤΩΤΟΝ, five Similiter cadens, est cum plura iisdem casibus efferuntur. Vt, *Est idem Verres, qui fuit semper; ut ad audendum projectus, sic paratus ad audiendum.* Cic.

ΟΜΟΙΟΤΕΛΕΤΟΝ, five Similiter desinens, est cum, cola aut cōmata, eodem sono terminantur.

Cic. in Maniliana: *Vt ejus semper voluntatibus non modo civēs assenserint, socii obtemperarint, hostes obedi-erint; sed etiam venti tempestatesque obsecundarint.*

ΗΑΡΗ=

ΠΑΡΗΧΗΣΙΣ est, cum una, pluresve syllabæ vocis antecedentis in aliâ ejusdem membri repetuntur. Vt, *Palla pallorem incutit*, Plaut.

O fortunatam natam me consule Romanam! Cic.

DE SCHEMATIBVS

ΔΙΑΝΟΙΑΣ.

Cap. 14. Schemata *Διανοίας*, alia ad inventionis, alia ad dispositionis ornamentum adhibentur.

Primum videamus de iis, quæ sunt inventionis.

ΠΡΟΛΗΨΙΣ, sive *Occupatio*, est cum id, quod ab adversario objicitur, aut objici posse putamus, anticipamus atque diluimus.

Partes ejus sunt duæ; *ὑποφορὰ*, quæ objectionem proponit; & *ἀντιποφορὰ*, quæ objectioni respondet.

E. g. *Obiectio est in illo Didonis apud Maronem, Æn. 4.*

Verum anceps pugna fuerat fortuna.

At *ἀντιποφορὰ* est, *Fuisset. Quem metui moritura?*

Pro-

Prolepsis similis est *ΥΠΟΒΟΛΗ* sive *Subjectio*, qua multa, quæ pro adversario dici possunt, breviter, & minutatim proponuntur; atque ad singula breviter item respondetur.

Cic. pro Plancio: *Male judicavit populus: at judicavit. non debuit: at potuit. non fero: at multi clarissimi & sapientissimi cives tulerunt.*

ΑΝΑΚΟΙΝΩΣΙΣ, sive *Communicatio* est, quâ adversarium confutimus, aut cum iudicibus, quid faciendum sit, quidve factum oportuerit, deliberamus.

Cic. pro Cæcinâ: *Quæro, si te hodie domum tuam redeuntem coacti homines & armati, non modo limine tectoque adium tuarum, sed primo aditu, vestibuloque prohibuerint, quid acturus sis?*

ΠΑΡΟΜΟΛΟΓΙΑ, sive *Confessio*, est, cum callidè omnia adversario permittimus.

Cic. pro Ligario: *Habes igitur Tubero (quod est accusatori maximè optandum) confitentem reum: sed tamen ita confitentem, &c.*

C

ΕΠΙ-

ΕΠΙΤΡΟΠΗ, sive *Concessio*, est, cum aliquid largimur adversario, ut reliquum feramus. Virg. 7. Æn.

Non dabitur regnis (esto) prohibere Latinis:

At trahere, atque moras tantis licet addere rebus.

S C H E M A T A.

Quibus ad explicandum, aut exaggerandum, utimur.

Cap. 14. ΓΝΩΜΗ, sive *Sententia*, est generale pronunciatum earum rerum, quas in agendo sequimur, aut fugimus.

ΝΟΗΜΑ, sive *Cogitatum*, est alusio ad sententiam, sive sententia personæ accommodata.

E.g. *Gnome* est, *Nihil est tam populare, quam bonitas.* At *Νόημα* est cum Cicero Cæsari hoc accommodat Orat. pro Ligat. *Nihil habet nec fortuna majus, quam ut possis; nec natura tua melius, quam ut servare velis quam plurimos.*

ΜΕΡΙΣΜΟΣ, sive *Distributio*, est,

est, cum totum in species, aut partes diducimus.

Lycurgus apud Rutilium Lupum: *Cujus omnes corporis partes ad nequitiam sunt appositissimæ; oculi ad petulantem lasciviam, manus ad rapinam, venter ad aviditatem, &c.*

ΑΙΤΙΟΛΟΓΙΑ est, cum in nar- Cap. 16.
rando facti ratio adjicitur.

Eleganter autem fit cum gradatione. ut in illo Ovidii:

Viderat hanc, visamque cupit, potiturque cupitâ.

Quod si causa sit magis speciosa, quam vera, *COLOR* dicitur.

ΔΙΑΤΡΩΣΙΣ est, cum res ita clarè copiosèque exponitur, ut coram spectari videatur.

Quomodo Cicero in Milonianâ describit apparatus Milonis, & Clodii: illius in rheda confidentis, ac penulati; hujus in equo, & cum delictis villâ egredientis, ac pugnantis è loco superiore, & quæ sequuntur.

Quod si simplicior dilutiorque fuerit descriptio, *ΥΠΟΤΡΩΣΙΣ* vocatur. C 2 Vt

Vt hæc Maronis 5. Æn.

*Constitit in digitos extemplo ar-
ctus uterque;*

*Brachiaque ad superas interritus ex-
tulit auras.*

Sed vulgò *Ἀγρόπρωσις*, & *Ἐρωτί-
πρωσις*, pro eodem schemate haben-
tur.

Cap. 17.

ΕΙΚΩΝ, sive *Imago*, est affimila-
tio protasi & apodofi carens, facta
per vocem *similis*, velut, *tanquam*, *in-
star*, *quasi*, aut aliam hujus generis.

Virgil. *Os humerosque Deo similis.*

Cicero in Vatinius: *Repente enim
te, tanquam serpens è latibulis, oculis
eminentibus, inflato collo, tumidis cer-
vicibus, intulisti.*

ΠΑΡΑΔΕΙΓΜΑ sive *Exemplum*,
est, cum factum, sive actus aliquis,
commemoratur, ut eo ostendatur,
aliquem vel simile facturum, vel fa-
cere debere.

*Vt, Periculum est, ne, quemadmo-
dum Marii & Syllæ dissidium,
ita Pompeii & Cæsaris, laceret
Rempublicam.*

ΠΑΡΑ-

ΠΑΡΑΒΟΛΗ, sive *Comparatio*,
est, cum ad illustrandum id, de quo
sermo est, petitur similitudo ab iis,
quæ fuere, fiunt, aut naturâ, casuve
rebus insunt.

*Quales mugitus, fugit cum saucius
aram*

*Taurus, & incertam excussit cer-
vice securim.* Virgil.

ΣΥΜΒΟΛΗ, sive *Collatio*, est,
quando substantiam cum substan-
tia, aut accidens cum accidente,
conferimus, ut ex oppositione hæc
pateat, quantopere convenient, aut
differant.

Vt, si conferas Alexandrum, &
Cæsarem; oleam, & vitem.

ΠΑΡΑΔΙΑΣΤΟΛΗ, Latinè *Se-
junctio*, est, cum distinguuntur ea,
quæ vim habere eandem videntur.

Vt, *Non sapiens, sed astutus. Pre-
mitur virtus, non opprimitur.*

ΑΝΤΙΜΕΤΑΒΟΛΗ, sive *Com-
mutatio*, vocatur, quando est con-
trarietas sensus cum verborum im-
mutatione.

C 3

Vt,

Vt, Eripis, ut perdas; perdis, ut eripias.

Esse oportet, ut vivas; non vivere, ut edas.

ANTIΘΕΤΟΝ, est ex contrariis constans oratio, ut Virg.

Flectere si nequeo superos, Acheronta movebo.

ΟΞΥΜΩΡΟΝ est, cum idem negatur de seipso. Ter. in Eun.

Tu pol, si sapiis, quod scis, nescis.

Cum tacent, clamant. Cic.

Cap. 19.

ΠΑΡΕΚΒΑΣΙΣ sive Digressio, est alicujus rei, quæ tamen ad utilitatem causæ pertineat, extra ordinem excurrens tractatio.

Qualis illa de laudibus Cn. Pompeji in orat. pro Balbo.

ΕΠΑΝΟΔΟΣ est ad propositum reditus.

Cic. lib. 2. de Orat. Sed ut eò revertatur, unde hæc declinavit oratio.

ΕΠΙΦΩΝΗΜΑ, sive Acclamatio, est, cum rei narratæ, aut probatæ, velut coronis adjicitur pronunciatum ex superioribus expressum.

Vt.

Adeo

Adeo à teneris assuescere multum est,

Virg.

ΑΥΞΗΣΙΣ est, cum utimur verbo excedente rei magnitudinem.

Cap. 20.

Vt apud Ter. *Sacrilega, & venefica*, pro improba: *scelus* pro errato.

ΤΑΠΕΙΝΩΣΙΣ est, sive ΜΕΙΩΣΙΣ cum verbo humiliore, quàm pro re, utimur.

Vt, cum attigisse eum dicimus, qui vulneravit. Sic *erratum* pro *scelere*: *severus* pro *crudeli*.

ΠΑΡΑΔΕΙΨΙΣ est, cum præterire nos velle dicimus, quod interim in transcurso dicimus.

Cic. pro Cluent. *Mitto illam primam libidinis injuriam, mitto nefarias generi nuptias, mitto cupiditate matris expulsam matrimonio filiam.*

INCREMENTVM est, cum velut gradibus quibusdam pervenitur ad summum.

Facinus est vincire civem Romanum, scelus verberare, propè parricidium necare: quid dicam in crucem tollere? Cicero.

C 4

ΗΕΡ-

ΠΕΡΙΦΡΑΣΙΣ est, quâ rem unam multis ambimus verbis.

Vt, *Romana eloquentia parens*; pro Cicerone. Item, *Ire ad requisita natura*. Sallust.

Cap. 21.

ΕΚΦΩΝΗΣΙΣ, sive *Exclamatio*, est oratio, in quâ interjectio expressa, aut intellecta, indicat animi affectum. Vnde & pronuntiatio intenditur ad significandam rei magnitudinem.

Vt pro Marcello: *O clementiam admirabilem, atque omni laude, praedicatione, literis, monumentisque decorandam!*

Cic. in Pisonem: *O scelus! ô pestis! ô labes!*

ΑΠΟΡΙΑ sive *Dubitatio*, cum dicimus, nescire nos, quid dicere vel agere debeamus.

Cic. pro Ligario: *Itaque, quomertam, nescio.*

Virg. *Eloquar, an fileam?*

ΕΠΑΝΟΡΘΩΣΙΣ, sive *Correctio* est, quâ tollit id, quod dictum est: & pro eo, quod magis idoneum videtur, reponit.

Cic.

Cic. *Quas ille leges, si modo leges nominanda, ac non faces urbis, & pestes Reipub.*

ΑΠΟΣΙΩΠΗΣΙΣ, sive *Retentio* est, cum ita abrumpitur oratio, ut vix appareat, quid dicturus quis fuerit. Virg. I. *Æn.*

Quos ego, sed motos præstat componere fluctus.

SERMOCINATIO propriè est, cum sermo affingitur personæ, quæ præsentis sit instituti.

Cujusmodi sunt orationes multæ apud historicos, & poëtas.

ΠΡΟΣΩΠΟΠΟΙΙΑ, sive *Persona effictio*, est, cum rebus mutis sermonem tribuimus, aut vita defunctos, tanquam vivos; aut absentes etiam, tanquam præsentés, loquentes inducimus.

Vt cum apud Cic. pro Cælio, Appius Cæcus excitatur, ad Clodiam, ob libidinem, objugandam.

ΕΡΩΤΗΜΑ, seu *Interrogatio*, est, quâdo, ubi recta oratione uti liceat, sermonem inflectimus. Virg. in *Ecl.*

C 5

Non-

*Nonne ego te vidi Damonis pessime
caprum*

Excipere insidiis?

ΑΠΟΣΤΡΟΦΗ est, cum sermo-
nem aliò avertimus, quàm instituta
oratio requirit.

Cic. pro Milon.

*Vos enim, Albani tumuli atque luci,
vos inquam, imploro atque obtestor.*

I. Æn. *Musa, mihi causas me-
mora.*

Atque hæc de Schematibus, qui-
bus Inventio exornatur.

SEQVUNTUR SCHEMATA,

Quæ ornant Dispositionem.

Cap. 22.

MΕΤΑΒΑΣΙΣ, sive *Transitio*
est, cum inseritur aliquid ora-
tioni, ut ab eo, quod diximus, trans-
grediamur ad illud, quod superest.

Cic. *Quoniam de genere belli dixi;
nunc de magnitudine pauca dicam.*

Virgil.

*Hactenus arborum cultus, & syde-
ra cæli;*

Nunc te, Bacche, canam.

ΑΠΟ-

ΑΠΟΔΙΩΞΙΣ, sive *Rejectio* est,
cùm aliquid in alium locum, vel
tempus rejicitur.

Cicero pro lege Maniliâ: *Sed de
Lucullo dicam alio loco, &c.*

REVOCATIO est, cum, quia
longiores aliquâ in re fuerimus, ora-
tionem ad principium revocamus.

Vt, *Hac de re quid attinet dicere? erit
aliàs opportunior dicendi locus.*

De Tropis & Schematibus vidimus.

DE COMPOSITIONE.

COMPOSITIO est idonea ver-
borum, sententiarumque stru-
ctura. Lib. 5.
Cap. 1.

Complectitur ea juncturam, ordi-
nem, periodum, & numerum.

IVNCTVRA præstat, ut oratio sit
lenis, & mollis; aut sonora, ac grâdis.

Atque hic præcipitur, ut cavea-
tur crebra vocalium concursio; e-
jusdem literæ, vel syllabæ, in initio
aut fine frequentatio; continuatio
plurium syllabarum brevium, vel
longarum.

ORDO

ORDO exigit, ne inconcinna fiat verborum trajectio: item, ut crescat oratio, nec graviori id, quod levius est, subjiciamus: item, ne turbetur naturalis ordo; eoque potius dicamus, *viros, ac feminas, diem ac noctem, ortum, & occasum*, quàm ordine inverso.

Cap. 2.

PERIODVS, juxta Ciceronem, est oratio in quodam quasi orbe inclusa procurrens, quo ad insistat in absoluta sententia.

Estque vel simplex, vel duorum, vel trium, vel summum quatuor membrorum: qualis illa pro Cæcina: *Si quantum in agro, locisque desertis, audacia potest; tantum in foro, atq; in judiciis, impudentia valeret: non minus in causa cederet Aul. Cæcina Sex. Æbutii impudentia; quàm tum in vi facienda cessit audacia.*

Periodi partes aliæ sunt majores; quæ Græcis *κῶλα*, Latinis *membra* dicuntur: aliis minores; quæ Græcis *κόμματα*, Latinis vocantur *incisa*.

Sed, contrà quàm apud Grammatici-

maticos fit, si comma fuerit longum, ut, si septem syllabas excedat, colon nominatur: & colon, si fuerit breve, ut si minus sit, quàm septem syllabarum, commatis nomen accipit.

NUMERVS Ciceroni est modus Cap. 3. quidam orationis, qui è permistis & confusis pedibus, & temporam, quibus constant, apta ratione nascitur.

Numerus hic diversus est à poetico: à quo abhorret orator. Ac multum observatur in principiis; minus in mediis; potissimum verò in clausulis.

Adhibetur autem hic aurium iudicium; sed præstantium oratorum lectione firmatum.

Atque ut negligentia, ita cura nimis anxia vitanda est.

DE TRIPLICI CHARACTERE.

QVæ hætenus diximus, universe Cap. 4. respiciunt Elocutionem. Nunc videamus, ut ea variet pro materia diversa.

Est

Est enim triplex dicendi CHARACTER: magnificus, sive sublimis; humilis sive tenuis; & mediocris, sive æquabilis.

SVBLIME dicendi genus potissimum locum habet in rebus magnis. Ut de Deo ac Repub. unde in rebus heroicis, ac tragicis; præcipuè adhibetur.

Constat gravium, & sublimium verborum amplâ atque ornatâ structura. Metaphoras petit à rebus grandibus. Schemata adhibet vehementiora: ut exclamationes, prosopopœias, apostrophas.

Affectibus ciendis idoneum est.

Vitium ejus est, si *turgidum* sit, & inflatum, vel insolentiâ horridum.

Cap. 5.
§. 1.

Contrâ HVMILE genus convenit rebus tenuibus. Ac contentum est verborum proprietate, metaphoris usitatis; item acumine, ac lepore. Sententiârû schemata parcius usurpat, abstinere amplificationibus, insignioribus numeris, & periodis accuratioribus.

Præci-

Præcipuè adhibetur in epistolis, & disputationibus philosophicis.

Videndum autem, ne neglectu nimio fiat *jejunum*, & exsangue.

Genus MEDIUM, seu mediocre; in rebus mediis usurpatur. Estque humiliter sublimi; sed sublimius humili: eoque nec vehementiora illa schemata amat; nec infimam sequitur dicendi rationem.

Cap. 6.
§. 10.

Hic imprimis conveniunt paria paribus, contraria contrariis reddita, & casus in exitu similes; & hujus generis alia.

Vitium ejus est *fluctuans*, & incertum: quomodo vocatur, si nunc humile genus fugiens, nimis assurgat; nunc tumidum atque inflatum vitans, humi serpat.

Hactenus de Elocutione. Superest Postrema Rhetorices pars: quæ est

DE PRONVNCIATIONE.

PRONVNCIATIO, sive ACTIO, est vocis gestuumque pro rebus, & verbis, apta conformatio.

Cap. 7.

Ejus

356 pp

[Faint, mostly illegible handwritten text in a cursive script, possibly Latin or German, covering the left page.]

843600

843611

LU Akad. bibl.



817002307

Ex Libris of Morben
Adrianus Wandelaar

[Large, irregular water stain on the right page, partially obscuring the text.]